



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Ex hac succesionis linea præcipuè notandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

IACOBVS PITRICH.

38. Præpositus 38. per compromissum electus, qui nunc præest etiam. Quo viuo in Coadiutorem postulatus Sereniss. Princeps *Ferdinandus* junior vtriusq; *Bauariæ* Dux.

Obiit idem *Iacobus Pitrich* anno 1594. in mense Decembri.

39. Mortuo *Iacobo Pitrich* successit in regimen prædictus Serenissimus Princeps *Ferdinandus* junior, Comes Palatinus Rheni, vtriusq; *Bauariæ* Dux, Coadiutor Archiepiscopatus & Electoratus Colonienfis, & Administrator Ducalis Berthegadensis Pontificia & Imperatoria autoritate confirmatus. Cuius Serenitati DEVS OPT. MAX. felix regimen tribuat, eamq; diutissimè saluam & incolumen conferuet.

Ex hac successionis linea præcipuè notandum.

Petrum *Pienzenauer* Præpositum 29. per *Bonifacium* Papam IX. confirmatum fuisse; atq; *Conradum Tanner* Præpositum 20. suffragiis Sedis Apostolicæ conatus Canonicorum & Prouincialium repressisse. Item *Fridericum Ellinger* Præpositum 10. Archidiaconatum *Romæ* obtinuisse pro se & successoribus suis, anno Domini 1213. Deinde *Henricum* Præpositum tertium Archiepiscopatum *Salsb.* administrasse. Et *Ioannem Saxonem* Præpositum similiter.

COPIA INSTRUMENTI POSTVLATIONIS SER^{MI}

Boiariæ Ducis Ferdinandi: de qua supra mentio fuit facta.

Nos *Iacobus* Dei gratia Præpositus & Archidiaconus Monasterij in *Berchdesgaden* ord. S. *Augustini*, Canonicorum Reg. Decanus & Capitulum ibidem, testamur in verbo veritatis, & notum facimus, quod nos vigore nostrorum priuilegiorum, atque iustis & legitimis de causis animum nostrum mouentibus, & vrgentibus, adhibito maturo iudicio & consilio, vnanimi voto & consensu, in Coadiutorem postulauerimus, & futurum Præposituræ *Berchdesgadens.* successorem, Serenissimi *Bauariæ Ducis Wilhelmi*, Domini nostri clementis, filium *Ferdinandum*: sicut eum ipsum tenore præsentium postulamus, ac postulatam velumus, pro vt de iure, vel consuetudine melius potest, non obstante cuiuscunque contradictione, contra liberam nostram eligendi, seu postulandi facultatem, prætensa.

Quam quidem postulationem nostram, vt idem commemoratus Princeps *Ferdinandus*, & gratiosissimè acceptare, & confirmationem eius nobiscum impetrare dignetur, maiorem in modum rogamus. Ea tamen conditione, vt postulatus Illustriss. Princeps supradictus, sub spe Regularis professionis quandoque faciendæ, interim Coadiutoriam non per extraneas personas substitutas, sed per aliquem Canonicum Religiosum hic professum, administret, si per se ipsum non commodè potest: vtq; in omnibus, quoad eius fieri potest, morem seruare studeat antiquum in administratione eiusdè. Qua si deinceps liberare se velit, nulli alteri quouis titulo eam conferat, sed pleno iure Capitulo iterum resignet. In cuius rei fidem, ac testimonium hoc nostre postulationis scriptum, subscriptione cuiuslibet nostrum, & sigillorum nostrorum appensione, muniri fecimus. Actum in nostro *Berchdesgaden*, die vicesimo septimo Mensis Iunij, Anno salutis nostræ M. D. XCI.

Iacobus Præpositus & Archidiaconus.

Iohannes Marquardus Anfang. Canonicus & Decanus.

Ioannes Benedictus à Perfall.

Ioannes Mairhofer Senior,

Sebastianus